

tionem factam a prædecessore? Resp. I. Si prælatus, seu superior ecclesiasticus, seu beneficiatus, locat res suas dignitati, aut beneficio deputatas, atque ad suos redditus particulares, suamque sustentationem pertinentes, adeoque suo, et non Ecclesiæ nomine, non tenetur locationi stare successor, consequenter nec datur actio contra eum. Molina, disp. 492, n. 5; Covarruvias, lib. II. *Variar. resolut.*, cap. xv, n. 6; Tuschus, lit. E. concl. 419; Glossa, in c. fin. *Statutum terminum*, « Ne prælati vices suas, » etc.; Pirhing, h. t. n. 26. et communis aliorum. Ratio est, quia locatio talis morte locantis expirat, hoc ipso, quod redditus et fructus beneficii a die mortis beneficiarii pertineant ad successorem, eique reservari debeant, in cuius præiudicium facere nihil potest antecessor, c. fin. *de Offic. judic. ordin. et c. Relatum. de Testam.* Idem est, si ante tempus conductionis finitum beneficiatus, parochus v. g. beneficium resignat, mutat, vel ab eo privatur, uti post Covarruvias, loc. cit. bene observat Pirhing, h. t. n. 26.

84. Bene vero locationis factæ de rebus ad ecclesiam ipsam pertinentibus, ac nomine Ecclesiæ. — Resp. II. Si prælatus ecclesiæ debita juris solemnitate, modoque et tempore a jure concesso locat res non ad se, suamque propriam sustentationem specialiter deputatas, sed ad Ecclesiam ipsam, vel monasterium pertinentes, adeoque non suo, sed Ecclesiæ nomine, cuius administrator est, tenetur locationi stare etiam successor, consequenter contra ipsum actio ex conducto datur. Ita doctores citati cum Abbate, in c. fin. n. 5. « Ne prælati vices suas, » et communis aliorum. Ratio est, quia prælatus est legitimus administrator bonorum Ecclesiæ: consequenter locatio ejusdem ita se habet, ut locatio bonorum facta a tutore, vel curatore nomine pupilli aut minoris; huic autem stare tenentur et minores, et successores curatorum, l. *Tutelæ*. 8. ff. *de Administrat. tutor.* Advertunt tamen hic communiter doctores quod si Ecclesia per locationem antecessoris graviter esset læsa, eidem competeret beneficium restitutionis in integrum, c. 1. *de In integrum restitut.* et c. 1. eodem in 6; Tuschus, loc. cit. ubi totam quæestionem prolixè et solide tradit. Porro quid observare oporteat, ut locatio nomine Ecclesiæ rite fiat, dictum est supra, tit. XIII. *de Rebus Eccles. alien.*

85. Jura, et obligationes conductoris tran-

seunt ad hæredes ejus. — Quæritur VI. An jura et obligationes conductoris transeant ad hæredes ejus? Resp. affirmative. Molina, disp. 489, n. 4; Azorius, loc. cit. cap. v. q. 1, et communis aliorum. Et quidem, quod jura transeant, clare patet ex textu § fin. Instit. h. t. ibi: « Mortuo conductore inter tempora conductionis, hæres ejus eodem jure in conductione succedit. » Concordat, l. *Viam*. 10. c. h. t. Quod autem etiam obligationes et onera transeant, constat ex l. *Veteris*. 13. c. *de Contrah. et Commit. stipul.* ubi universaliter ita statuitur: « Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in accipiendo inveniat, et ad hæredes, et contra hæredes transmitti. » Ubi etiam ratio redditur: « Cur enim, quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes et adversus hæredes transmittatur? » Hinc sequitur, quod hæredes conductoris ad ea omnia præstanda obligentur, ad quæ vi conductionis tenebatur conductor.

§ IV.

DE OBLIGATIONIBUS, ET JURIBUS LOCATORIS OPERARUM ET CONDUCTORIS EARUMDEM, SEU DE OBLIGATIONIBUS ET JURIBUS FAMULORUM, OPERARIORUM, OFFICIALIUM, ETC. AC DOMINORUM.

86. *Hi qui operas suas aliis locant, tenentur ex justitia fideliter laborare, et in casu negligentie restituere.* — Quæritur I. Quæ sint obligationes locatorum operarum, seu illorum, qui se ipsos vel potius operas, et labores suos alteri locant? cujusmodi sunt servi, famuli, officiales, operarii, artifices, custodes, etc. Resp. I. Hi omnes ex justitia obligantur juxta locationis conductionis tenorem fideliter præstare operas et labores locatos, ita ut pro rata laboris debiti omissi vel negligenter peracti (quatenus non pervenit ad gradum infimum justitiae laboris) teneantur mercedem remittere, vel jam acceptam restituere. Navarrus, *Manual.*, cap. xvii, n. 197; Molina, disp. 944, n. 9; Sylvester, *de Locatio*. q. 12; Bonacina, *de Contract.* disp. 3, q. 7, punct. 4, n. 1. et communis aliorum, arg. l. XV, § 6, ff. h. t. et l. fin. c. *de Condict. ob causam*. Ratio patet, quia his merces et stipendium datur ob labores et operas; consequenter si hi omnino non vel non debite præstantur, pro rata laboris omissi, vel non debite præstiti mercedem remittere, vel restituere debent.

87. *Atque rescire damna inde secuta domino.* — Resp. II. Præfati operarum suarum locatores tenentur etiam ad interesse, et damna, si quæ ex lata vel levi, non item quæ ex levissima eorum culpa domino emergunt. Azorius, loc. cit. c. XIII, n. 7; Navarrus, loc. cit.; Bonacina, loc. cit.; Reginaldus, lib. XXV. cap. xxxix. n. 552. et communis aliorum, arg. l. *Si in lege*. § 10. ff. *ad Legem Rhodiam*. Ratio est, quia, ut supra n. 61. diximus, in contractibus, qui fiunt in gratiam utriusque, ex culpa lata vel levi, non item levissima obligantur contrahentes. Hinc si quis mercede conducitur ad opus faciendum, et illud ob imperitiam suam, vel ob non adhibitam competentem in qualitate aut quantitate materiam, vel aliam ob causam sua culpa opus imperfecte, aut vitiose perficit, ad interesse, et damna rescarcienda tenetur. Molina, loc. cit. n. 10, cum communis aliorum, l. *Si in lege*. in prin. 24, l. *Opus*. 36. l. *Ea lege* § *Locavi*. ff. h. t.

88. *Custodes gregum et aliarum rerum tenentur restituere, si eorum lata, vel levi; non item si levissima eorum culpa res perit, vel perditur.* — Infertur, quod pastores gregum, si eorum levi, vel lata culpa animal perit, vel perditur, ad restitutionem teneantur. *Si quis domum*, 9. § 4, ff. h. t. Idem est de omni illo, qui mercedem pro custodia accipit alicujus rei l. *Qui mercedem*, 40. ff. h. t. Azorius, loc. cit. putat custodem rei mercede conductum, teneri etiam de culpa levissima, citatque pro hac opinione omnes. Verum ut bene observat Molina, disp. 944, n. 12. Hæc sententia nimium rigida, consequenter practicabilis non est. Plane in jure fundata non videtur; tum quia universaliter ex contractu in gratiam utriusque facto, ex sola culpa lata, vel levi non item levissima obligantur contrahentes, nisi aliud specialiter fuerit conventum, vel adsit in aliquo specialis dispositio legis, quæ in contractu custodiæ non habetur; cum ex l. *Si quis fundum*. § 4. ff. h. t., quam Azorius pro se citat, minime probeatur, ut legenti textum patebit. Nec ex l. *Qui mercedem*. ff. h. t. ex qua alii pro parte conantur.

89. *Tenantur probare quod res perierit, et quod eorum culpa non perierit.* — Illud tamen constituti pro mercede custodes rerum speciale onus habent, quod licet alias in dubio, an res culpa conductoris vel causa perierit, conductor probare non teneatur, quod ejus culpa res non perierit, sed probatio locatori

rerum incumbat, culpa conductoris damnum contigisse; custodes tamen rerum probare teneantur, non tantum, quod res perierit, sed etiam quod ipsorum culpa factum non sit, casu quo circa hoc dubium existat, Molina, loc. cit. n. 13; Layman, loc. cit. n. 5, citans communem; Mascardus, concl. 272. arg. l. *Si quis domum*. 9. § *Imperator*. ff. h. t. l. *Si quis ex argentariis*, prope fin. ff. *de Edendo*, juncta l. fin. ff. *de Custod. et exhib. reorum*. Unde si custos dicat, rem sibi furto, vel rapina ablatam esse, alias periisse, aufugisse, etc. probare debet, quod hoc factum sit, et quod sua culpa factum non sit, ita arg. cit. jur. citati doctores cum communi aliorum.

90. *Famulus ante finitum locationis tempus discedens, perdit totum salarium, teneturque ad damna domino inde secuta.* — Resp. III. Si famulus, vel alius locans operas suas, ante tempus locationis finitum absque legitima causa ex malitia et culpa sua discedat, tenetur ad damna domino inde secuta. Azorius, loc. cit. num. 13, q. 6; Bonacina, loc. cit. n. 12; Filiucius et communis aliorum, arg. l. *Dominus*. 55, § 2, ff. h. t., juncta l. l. c. *de Servis fugitivis*; ubi ratio additur, videlicet, « Ne servorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa. » Accedit, quod revera intersit reipublicæ, ne famuli pro libitu servitia dominorum contra locationis tempus deferant, ubi bene observat Azorius, loc. cit. Bonacina tamen limitat in casu, quo ex discessu famuli herus damnum emergens, vel lucrum cessans non patitur; utpote, quia statim alium æque idoneum ad manum habuit; tunc enim non totum salarium, sed tantum pro rata temporis negare potest. Quæ limitatio in utroque foro procedit, si famulus non ex malitia et culpa sua, sed ob aliquam rationabilem causam, vel impedimentum ratione ipsius præcise proveniens dicenda infra n. 94. et seq. Num autem etiam locum habeat si famulus ex malitia et culpa sua discedat, doctores non conveniunt; pro foro interno tamen, et ante iudicis sententiam eam tali quoque casu procedere bene probat Bonacina, loc. cit. et patebit ex n. 93.

91. *Conductor alienarum operarum tenetur fideliter solvere pretium, ac usuras ejus, et tempore debito non solvit.* — Quæritur I. Ad quid obligentur conductores alienarum operarum, id est, illi qui pro mercede conducunt operas, et labores officialium, fa-

malorum, operariorum, etc. Resp. Tenentur debito tempore fideliter solvere integrum conventum pretium. Omnes. Claris juribus supra n. 57. Patetque ex Scriptura sacra, *Luc. x, 7*, quia *Dignus est operarius mercede sua*. Unde gravissime peccant domini, et ad restitutionem tenentur, qui justum stipendium denegant famulis, operariis, etc. Tenentur etiam ad usuras, et interesse, si sunt in culpabili mora solvendi, l. *Præses. 47. c. h. t.* Unde consequens est principes et alios dominos teneri ad restitutionem damnorum, quæ ob culpabilem eorum morum solvendi, salaria, officiales vel alii patiuntur, ut puta, si propterea famuli credito, ac consequenter carius emere cogantur; vel si debita contrahere, et pro summis capitalibus interesse solvere debent; idem dic de honesto lucro cessante. Ratio ulterior est, quia famuli et domini habent obligationem correlativam, ac reciprocam: consequenter cum ex culpa lata vel levi famulus domino teneatur ad interesse et damna juxta n. 87. ex pari causa tenebitur dominus servo, cum juxta vulgatum « Correlativorum idem est iudicium, eademque disciplina. » Barb., *Axiom. jur. axiom. 61*, arg. l. fin. c. *de Indict. vid. Accedit etiam præceptum divinum Levit., xix, 13. Non morabitur opus mercenarii.*

92. *Debet totum salarium solvere si absque legitima causa famulum ante tempus repellit.* — Resp. II. Si dominus ante locationis tempus finitum absque legitima causa servum expellit, vel etiam mercede conductæ personam officio vel servitio privat; vel si ob severitatem domini nimiam, aut quia eum ad illicita adigit, ipsemet discedit famulus; vel si alias per eum steterit, quominus famulus, vel alius conductus debitas operas præstare queat, tenetur ad solvendam integram mercedem determinato locationis tempori correspondentem. Bald., in l. XI. c. h. t.; Azorius, loc. cit. q. 5; Bonac., loc. cit., numer. 44; Molina, cum communi aliorum, arg. l. *Qui operas. 38. ff. h. t.* ibi: « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominus operas præstet. » L. un ff. *de His, qui sui, vel alieni. jur. l. Sed addes. 49. § 9. ff. h. t.*

93. *Nisi famulus aliud servitium pro æquali mercede statim acquirat sicque damnum non sentiat.* — Limitat tamen conclusionem Lessius, lib. II. cap. xxiv. n. 11; Sylvester, *γ. Locatio. q. 41. et 42*; Rebell., Reginal.

Filliucius et alii in casu, quo famulus operas suas æquali pretio statim alteri locavit, arg. l. *Sed addes. 49. § 9. ff. h. t.*, ubi imperator rescribit deberi mercedem illi, penes quem non stetit, quod operas locatas præstaret: « Si eodem anno mercedem ab alio non accepit. » Ratio est, quia mercedem integram in casibus conclusionis dare debet dominus servo, ut servus servetur indemnis: ergo si damnum non patitur, solvere non tenetur. Quæ limitatio in foro conscientie et ante sententiam iudicis vera est.

94. *Tenetur conductor solvere personam conductam, etsi uti non possit opera ejus, si impedimentum intuitu ipsius conductoris proveniat.* — Queritur III. An conductor alienarum operarum solvere debeat integram mercedem, casu quo non potest uti opera personæ conductæ? Resp. I. Si impedimentum, vel circumstantia, ob quam conductor opera conductæ personæ uti non potest ex culpa conductoris, vel etiam absque ejus culpa saltem ex illo originem habeat, ac præcise se debeat ex parte ipsius conductoris, et ratione illius proveniat, ita ut nullo modo stet penes personam conductam, quominus operam suam præstet, tenetur conductor locatæ personæ integram solvere mercedem, si interea persona conductæ alteri operas suas pro æquali mercede non locavit. Sylvester, *γ. Locatio. q. 41. et 42*; Lessius, lib. I. cap. xxiv. n. 8; Navarrus, cap. xvii. n. 497, arg. l. *Qui operas. 38. ff. h. t.* ibi: « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas suas præstet. » Concordat, l. *Unica. ff. de His, qui sui, vel alieni. jur. l. Sed addes. 49. § 9. ff. h. t.* Ratio est, quia quando impedimentum, quominus conductor uti potest opera personæ conductæ, provenit ratione ipsius personæ conductæ, mercede carere, et damnum pati debet ipsa persona conductæ, uti statim infra dicemus; ergo vicissim si impedimentum se habet ex parte conductoris, et ratione illius supervenit, ipso quoque damnum sentire, et mercedem præstare debet; cum obligatio conductoris, et locatoris sit reciproca et correlativa; « Correlativa autem idem est iudicium eademque disciplina, » juxta dicta, n. 74.

95. *Exemplificatur.* — Inferitur, quod si quis ad annum conducat servum pro adiutore alicujus officii, quo fungitur, et sub anno ex culpa sua ab officio deponitur, vel eidem sponte resignat, vel ad aliud officium

promoveatur, ita ut opera personæ conductæ non amplius utatur, nec uti possit, teneatur tali servo conducto integram totius anni solvere mercedem. Pariter si quis pro ædificanda domo, vel constructione alterius opifices, artifices, etc., et postea poenitentia ductus omittit opus, teneatur ad solvendam totius anni conductione determinati mercedem. Imo si quis ad certum tempus a domino conducitur, tenetur etiam hæres ad solvendam totius temporis mercedem, si interea dominus moriatur, consequenter opera conducti servi uti amplius non possit. Doctores citati per rationes et jura allegata.

96. *Excipitur casus, quo interea persona conductæ alii pro mercede operas præstat.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « Si interea persona conductæ alteri operas suas pro æquali mercede non locavit. » Hoc enim si fit, integram mercedem conductor vel hæres ejus solvere non tenentur, sed tantum id, quod pro rata temporis debetur. Ita citati doctores cum communi aliorum. Patet clare ex l. *Sed addes. 49. § 9. ff. h. t.* Ubi imperator statuit, servo conducto solvendam esse integram totius anni mercedem, non obstante, quod sub anno dominus sit mortuus, et opera servi amplius uti non potuerit; dummodo talis servus (uti lex expresse limitat) « eodem anno mercedem ab alio non accepit. » Ratio est, quia merces integra in casibus specificatis debetur servo, ut servetur indemnis, ergo si damnum non patitur, integram mercedem solvere non tenetur, sed tantum illam, quam rata temporis, quo servivit, et quod postea sine mercede consumere otiose debuit, v. g. medii anni, si quadrante anni servivit, et quadrante anni absque servitio et mercede vivere debuit.

97. *Si impedimentum ratione ipsius personæ conductæ proveniat, quominus ejus opera uti possit conductor, mercedem dare non tenetur.* — Resp. II. Si impedimentum, casus, vel circumstantia, ob quam conductor uti non potest opera conductæ personæ, præcise se habet ex parte ipsius personæ conductæ et ratione illius superveniat, ita ut nulla ratione penes conductorem stet, non tenetur conductor totam mercedem solvere, sed tantum id, quod rata temporis, quo operas præstitit, efficit, Lessius, loc. cit. n. 7; Navarrus, loc. cit. n. 187; Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut. cap. XIII. n. 8, de Famulo ægrotante, et communis aliorum, arg. l. Ex conducto. 45. § 2. et 6. ff. h. t. l. Ex fundo. 33. ff. eod.*

l. fin. c. *de Condit. ob caus.* Ratio est, quia conductor tempore contractus, non censetur se ipsum obligasse, nec a locata persona rationabiliter obligari potuit ad solvendam mercedem pro tempore, quo uti opera conductæ personæ non potest, impedimento se tenente præcise ex parte personæ conductæ et ratione illius solummodo proveniente. Contractus autem non obligant ultra intentionem contrahentium; ergo.

98. *Exemplificatur.* — Inferitur; si famulus vel alia persona, quæ operas suas ad certum tempus locavit alicui, in propria causa aliorum proficiscitur, v. g. ad visitandos parentes, ad eos sepeliendos, vel ad hereditatem capiendam, vel ad litem propriam prosequendam; vel si ob culpam suam traditur in carcerem, vel promoveatur ad aliud officium, ita ut operas domini privati præstare nequeat, conductor non integram mercedem, sed tantum pro rata temporis, quo operas præstitit, eidem solvere teneatur.

99. *Hæres non tenetur dare mercedem famulo pro tempore quo ægrotat.* — Resp. III. Si famulus, operarius, vel alia persona mercede conductæ ob infirmitatem et morbum per notabile tempus non potest præstare operas mercede conductas, non tenetur dominus pro tempore infirmitatis, quo operas non præstitit, mercedem dare; nisi aliud specialiter sit conventum, vel consuetudo sit in contrarium, Glossa, in l. penult. c. *de Condit. ob causam*; Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut. cap. xiii. n. 8*; Ancharanus, in c. *Propter sterilitatem. 3. h. t. n. 17*; Abbas, in c. *Cum pro causa procurator. n. 4*; Navarrus, in *Manual. cap. xvii. n. 108*; Lessius, loc. cit. n. 7; Azorius, loc. cit. cap. xiv. § *Tertio queritur*. Bonacina, loc. punct. 4, n. 13; Lanfran. Zachias, *de Salar. q. 19. n. 14.* et seqq.; Dian., p. 1. tr. VIII. *resolut. 86.* cum communi aliorum contra Joan. Andre- am, in c. *Propter sterilitatem. 3. h. t. Hostiensem, in Summa. h. t. § Tandiu*, Baldum, in l. fin. c. *de Condit. insert. Imolam, Speculatorem, et Glossam, in l. Arboribus. γ. De illo. ff. de Usufructu*. Probatur conclusio fundamentis juris et rationis in præcedenti conclusione, n. 97. allatis. Quibus addenda est l. *Si pecuniam. 5. in princ. ff. de Condit. caus. data.* ubi expresse statuitur, quod conductus mercede, ut Capuam iret, mercedem acceptam restituere iterum debeat, si causa valetudinis iter perficere non possit. Ratio ulte-

rior est, quia merces debetur tantum et datur propter operas conductas; ergo si opera non præstatur, merces non debetur, casu quo impedimentum ratione ipsius personæ conductæ provenit.

100. *Proponitur objectio ex jure.* — Objiciunt adversarii varias leges, ut l. *Cum hæres*. 4. § 5. ff. *de Statut. lib.* ubi expresse habetur, quod dies, quibus servus ægrotat, etiam computari debeant; ubi etiam ratio assignatur illis verbis: « Servire enim nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægrotos qui cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur; » item. l. I. § *Divus*. 13. ff. *de Variis extraord. cognit.* ubi ab hæredibus advocati defuncti non potest repeti merces, quam pro patrocinio causæ necdum finitæ accepit. Ratio redditur, « quia per ipsum non steterat, quominus causam ageret. » l. *Qui operas*. 38. ff. h. t. ubi universaliter sic statutum habetur. « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stet, quominus operas præstet: » atqui per famulum ægrotum non stat, quominus operas præstet: ergo. Confirmatur ex jure canonico, vi cuius etiam clericus ægrotus toti dantur redditus, prout liquet ex tit. VI. *de Clerico ægrot.*

101. *Solvitur.* — Respondetur l. *Cum hæres*. ff. *de Statu lib.* loqui de casu, quo paucis, tantum quibusdam diebus servire impeditur servus; quod et nos concedimus, ut infra dicemus. Deinde respondetur cum Covarruvia, loc. cit. in dicta lege esse specialem dispositionem ob favorem libertatis, ob quam, et non ob aliam mercedem servus in illa lege positus serviebat. Pariter, l. I. ff. *de Variis et extraord. cognit.* specialem constitutionem continet ob speciale privilegium, et favorem competentem advocatis propter excellentiam officii, et ingeniosam professionem. Ad l. *Qui operas*. ff. h. t. respondetur eam non universaliter, sed in iis tantum casibus locum habere, in quibus penes conductam personam non stat, quin operas præstet, impedimento, non ratione ipsius, sed ratione conductoris proveniente juxta dicta n. 94. Et ita interpretari nos jubent aliæ Leges, quibus alias dicta lex contradiceret. Multi enim reperiuntur in jure casus, in quibus operas conductas non præstans servus perdit mercedem, licet penes ipsum minime stet, quominus operas præstet, ut videre est in l. *Si pecuniam*. 5. ff. *de Conduct. causæ dat.* l. *Ex conducto*. 15. § 6. ff. h. t. et alibi. Ad

id. quæ ex jure canonico allegatur, respondetur redditus ecclesiasticos non præcise dari ob laborem, et operam personalem, sed etiam propter officium divinum, et excellentiam status clericalis, ob cuius favorem specialem etiam ægrotus clericus stipendia præbet Ecclesia, ne in dedecus status clericalis mendicare cogatur, ac proin etiam de clericis specialis sit dispositio juris ad alios non extendenda.

102. *Si specialis habeatur conventus, aut loci consuetudo, etiam ægrotus merces et salarium solvi debet.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « Nisi aliud specialiter sit conventum, vel consuetudo sit in contrarium. Contractus enim a conventionem legem accipiunt, » l. reg. 83. jur. in 6. quæ omnino servari debet, l. *Ex empto*. 41. ff. *de Action. empt.* Pariter etiam consuetudo observari debet: tum quia hæc legitime introducta vim legis habet juxta dicta lib. I. tit. IV. *de Consuetudine*; tum quia juxta consuetudinem locorum locatio conductio fieri præsumitur, nisi aliud exprimat textu claro l. *Circa locationes*. 19. c. h. t.

103. *Talis consuetudo datur respectu officii et consiliorum principis.* — Ex quibus colligitur, officialibus principum deberi integram mercedem, etiamsi per notabile tempus ob infirmitatem operas conductas præstare, v. g. consilia frequentare, etc. non possint; eo quod passim vigens locorum consuetudo hoc habeat. Quæ quia in privatorum dominorum famulis, et famulabus non ita viget, tempore infirmitatis mercedem prætere non possunt, sed juxta dispositionem juris communis supra allegati, detractionem pro rata temporis pati debent. Nec obstat, quod aliqui domini famulis suis etiam pro tempore diuturnæ infirmitatis mercedem præbeant; quia hi cæteris « præjudicium afferre non possunt; » prout statuitur l. *Circa locationes*. 19. c. h. t. ut proin famuli specialem obligationem gratitudinis contrahant, qui ab heris suis etiam pro tempore ægritudinis diuturnioris mercedem accipiunt.

104. *Si modico tantum tempore famulus infirmatur, nihil de mercede ei detrahi potest.* — Dicitur ulterius in conclusione « per notabile tempus; » quia si modico tantum tempore, v. g. per aliquot dies ægrotaret ad annum conductus famulus, æquitas suadet, ne quid propterea de mercede detrahatur, arg. l. *Cum hæres*. 4. § 5. ff. *de Statu lib.* Ratio

est; quia cum omnes simus imbecilles homines infinitis morborum periculis subjecti, censetur tacite in locatione inclusum, ne ob quamvis brevem infirmitatem impedito servo merces detrahatur. Accedit consuetudo passim recepta quæ juxta immediate dicta etiam in locatione attendi debet. Limita tamen hanc doctrinam in operariis diurnis, et aliis personis, quæ non ad integrum, vel medium annum, sed ad unum vel alterum diem tantum conducuntur, et quibus pro singulis diebus merces solvitur; his enim merces juste detrahatur pro rata temporis; etsi uno aut altero die ægrotent: teste praxi ubique recepta.

105. *Ex eo, quod famuli probabiliter judicent salarium suum esse minus justo, non possunt occulte aliquod surripere.* — Quæritur IV. An famuli, et famulæ possint occulte aliqua sibi surripere de bonis dominorum suorum, si judicant mercedem seu salarium eorum esse minus justo? Resp. I. Negative, si famuli, vel famulæ absque evidenti cognitione simile judicium ferunt ex fundamento, sive apparenter, sive vere probabili tantum. Est hodie certa, et extra controversiam ob doctrinam contrariam ab Innocentio XI. damnatam, quæ inter propositiones rejectas ordine 37. sic sonabat: « Famuli, et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad recompensandam operam suam, quam majorem judicant salario suo. » Ratio est, quia iniquum ac injustum est, ob rationes solummodo probabiles, aliquem privare possessione honorum suorum: prout communiter observant doctores inter quos Thom. Sanch., lib. II. *de Matrim.* disp. 44, n. 3. ait ita sentire universos, qui propterea etiam omnes ad quamcunque occultam compensationem præter alias conditiones hanc quoque requirunt, videlicet, ut compensare volenti, moraliter certo constet rem sibi ex justitia deberi; id quod etiam in *Theologia nostra morali*, tract. IX. disp. 5. n. 118. notavimus; eo quod possessio legitima tribuat jus certum retinendi, quo spoliari ob rationes solummodo probabiles nemo potest; arg. c. *Dilecte*. 28. § fin. *de V. S. l. Peregre*. 44. ff. *de Acquirend. possess.* Accedit quod in dubio, vel pari causa melior sit conditio possidentis, reg. 65. jur. in 6. Consequenter cum dominus sit in possessione suorum bonorum, iis a famulo ob probabilem rationem privari nequit, hoc ipso, quod sola probabilitas unius probabilitatem alterius non ex-

hauriat, sed rationibus pro et contra stantibus rem positive dubiam efficiat, juxta communem doctorum et dicta in *Theologia nostra morali*, tract. I. dist. 3. n. 29.

106. *Idem est de officialibus, consiliariis, et aliis personis pro mercede servitii præstantibus.* — Porro intelligenda est conclusio et propositio damnata non tantum de famulis et famulabus domesticis, sed etiam de omnibus aliis, quibuscunque pro mercede et salario operas, et servitium præstantibus, quales sunt, officiales quicumque, ministri, consilarii, judices, administratores, etc. Sogar., tr. XXXIX. cap. un. n. 7; Cardenas, in *Propositiones damnatas*, dissert. 23, cap. 1, a. III, rem egregie probans ex hoc præcipue fundamento, quod revera prorsus eadem de his ac illis sit ratio, uti consideranti patet; consequenter idem judicium, eademque juris dispositio, arg. l. *Illud*. ff. *ad Leg. Aquil.*

107. *Quando evidens est salarium esse injustum, licita est occulta compensatio.* — Resp. II. Quando non solum probabiliter, sed evidenter constat mercedem seu salarium famulis, vel aliis mercede conductis ac servientibus personis ex justitia debitum, esse minus justo, licitum est famulis uti occulta compensatione. Cardenas, loc. cit. cap. II. a. 1. n. 38; Molina, disp. 506; Navarrus, *Manual.*, cap. XVII. n. 172. et communis aliorum, arg. l. VI. et toto fere tit. ff. *de Compens.* Ratio est, tum quia in hoc casu famulus accipit quod suum est, vel saltem quod ei certo debetur: tum quia juxta certam et unanimem doctrinam textuum licitum est uti occulta compensatione, quando debitum moraliter est certum, et alia ratione absque molestia, expensis, amissione benevolentiae, favoris, etc. acquiri nequit, uti res se habet in casu nostro; cum ordinarie loquendo, famulus, vel officialis contra dominum in judicio pro justa sua mercede obtinenda agens, vel non audiretur, vel auditus succumberet, vel non nisi cum magna sua molestia, amissione benevolentiae, aliisque incommodis victoriam reportaret, expensis forsitan majoribus, quam valeat id, quod ei debetur, uti advertunt Molina, loc. cit. n. 5; Bonacina, *de Contrah.* disp. 3, q. 7, prin. 4, n. 3; Navarrus, *Manual.*, cap. XVII, n. 112. et communis aliorum.

108. *Pretium seu salarium justum in locatione, quid sit?* — Quæritur V. Quodnam censendum sit justam stipendium, merces, vel